

vita protegatur, et rursus per moderatam cordis intentionem non impeditur, capilli in capite sacerdotis et servantur, ut cutem cooperiant, et resecantur ne oculos claudant.

CAPUT VIII. NE PLACERE RECTOR SUO STUDIO HOMINIBUS APPETAT, SED TAMEN AD QUOD PLACERE DEBEAT, INTENDAT.

Inter haec quoque necesse est, ut Rector solerter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulset: ne cum studiose interiora penetrat, cum provide exteriora subministrat, se magis a subditis diligere quam veritatem quaerat: ne cum bonis actibus fultus, a mundo videtur alienus, hunc auctori reddat extraneum amor suus. Hostis namque Redemptoris est, qui per recta opera quae facit, ejus vice ab Ecclesia amari concupiscit: quia adulterinae cogitationis reus est, si placere puer sponsae oculis appetit, per quem sponsus dona transmittit. Qui nimirum amor proprius cum Rectoris mentem ceperit, aliquando hanc inordinate ad mollietatem, aliquando vero ad asperitatem rapit. Ex amore etenim suo mens Rectoris in mollietatem vertitur; quia cum peccantes subditos respicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non praesumit: nonnumquam vero errata subditorum quae increpare debuerat, adulationibus demulcet. Unde bene per Prophetam dicitur: vae his, qui consuunt pulvillos, sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere, et cadentes a sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollietates favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsatur. Sed haec Rectores, qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, a quibus se noceri posse in studio gloriae temporalis timent. Nam quos nil contra se va-